

IOANNES LEUVENKLAIUS S. D. AL-
berto patruo suo, præstanti uirtute ac sapien-
tia uiro.

A



ISI ad te non ita pridem, Alberte patruæ, Gregorij Nysseni x v libros, de manuscriptis exemplaribus Græcis à me superiori anno Latinam in linguam conuersos, meaq; primùm opera publicatos. Redeo nunc alio quodam cū munere, quod ipsum quoq; gratum tibi fore confido. Cōplexus sum breuī commentario gentis Russicæ tibi notissimæ bella, quæ ab annis LXX aduersus finitimos gesserunt, adiectis ijs potissimùm, quæ annis hisce proximis acciderunt, uobis quidem istic omnino trita, uerùm longius remotis parum cognita. Quum hoc scriptū meum typographus Commentarijs rerum Moscouiticarum Sigismundi Baronis Herbesteni non sine Lectorum fructu subijci posse diceret, non solū id à me passus sum impetrari: sed etiam aliud quasi ἐπίμεινον addidi, quod iisdem Commentarijs adiungi commodè uideretur. Moscorū & Græcorum eandem esse de religione sententiā constat, non parum in quibusdam doctrinæ partibus ab auctoritate Romani Pontificis recedentem. Qua de re quum ab amico meo, Claudio Auberio Triuncuriano Gallo, excellentis ingenij uiro, nuper interrogationes paucas accepissem, à Cardinali Guisano Græcis, qui Venetijs uiuunt, propositas, & Græcorū ad eas responsionem: rem me studiosis harū rerum non ingratiū facturum putauī, si scriptum hoc ipsum Latina lingua donatum prioribus adiungerem, in quo rationes exponerētur, quamobrem Græci & Mosci præscos suos doctores sequuti, nouas quasdam opinioniones recentiorum aspernentur. Exstant in eodem fragmēta nonnulla scriptorum, qui nobis ignoti sunt, Magnetis, Nicolai Cabasilæ, Dyrachini antistitis, Maximī, cuius nos quasi reliquias aliquas in Elia Cretensi & Nazianzeno exhibuimus, Symeonis Thessalonicensis archiepiscopi, Dorothei, Theophanis, & aliorum: quorum sanè uel nomina saltem proferrī par est, ut antiquitatis studiosorum animi ad integra horum monumenta perquirēda excitentur. Præterea de controuersis hoc tempore dogmatibus aliqua non contemnenda sunt interspersa: qua tamen in parte uidebimus aliquando, num fieri possit, ut ex præscorum monumentis aliter, quàm heic factum, respondeatur: ad Græcos homines Græco scripto elaborato, cuius modò perficiendī nobis otium minimè suppetit. Hæc autem ad te propterea mitto, quòd eius gentis historiarū testem magis idoneum, quàm te, habere neminem possim: qui non Russiam modò uidisti, sed etiam ipsorum linguam, sicut & aliorum quorundam populorum Septemtrionalium, eleganter calles. Vale. a. d. xv. kal. Febr. anno

C I D I D L X X I.

S 2 CLAV